

Post ista, cum nobilis vir Rainerius Ubertini fuisset captus apud Aritium et diu inhoneste detentus, florentini recordantes obsequiorum que sepe contulerat nobilis antedictus, Aritium misere legatos, imponentes eisdem ut, salutatione premissa, preces effunderent copiosas, ut gratia florentini comunis, ipsum nobilem absolutum dimitterent aretini; demum et quod non possent tanto viro deficere, cum ipsum teneantur pre aliis omnimode honorare. Iverunt namque legati proponere omnia iuxta mandatum, ne iudicarent procedenti tempore transgressores: quibus, precedente super salutatione responsione decenti, talis est facta responsio:

« Personas vestras, ea que sunt comunitatis nostre honoris et commodi afferentes, libenter recipimus et videmus. Verumtamen sapientis est ab initio indagare quid petat, si iustum vel quod videatur honestum et a quo, et si a pari, vel a maiori, vel subdito: item si obsequia ullo tempore precessere, quibus petitor largitione sit dignus. Unde si petitis tamquam a maiori vel pari non decet, quoniam aperte veritas contradicit: et si tanquam a subdito, vosmetipsos aperte decipitis. Cum igitur ipsum nobilem multis precedentibus causis detineamus in vinculis, et consumasset opera manifesta que probatione non indigent, quibus est nexibus dignus et vapulari multis; rogamus vos, quatinus responsionem nostram non reputetis iniquam, velitis a tali petitione desistere, ac comunitati vestre referre, quod decet maiores, licet sint quasi soluti legibus, tamen legibus vivere.

(in d. d. d.) * Sunt enim inanes reversi legati: non dico inanes, immo quasi pregnantes, desiderantes sine dolore citissime parturire: et omnibus in consilio sapientissime recitatis, clamor factus est magnus, dicentium: ad Aritium, ad Aritium. Obtinuit tamen sensus et rata (recta?) discernens, et statutum est quod aretinos in personis propriis requirant consules de predictis et de gratia querant ipsum nobilem absolvendum: non ipsos multis precibus onerando, nec minas aliquas inferendo. Et accedentes ad locum, cum ambularent coram carcere, viderunt predictum in turri morantem: dicentes eidem, ut securissime deliberatione confidat, et affirmantes, quod amicis, quicquid contingere posset, de personis et rebus nullo tempore defecere. Super quibus aretini ad iram moti, proposuerunt consulibus non dare consilium nec petitionibus eorumdem ullo modo deferre: artius consueto ipsum nobilem cruciantes. Cum igitur sibi dari consilium consules peterent festinanter, petitioni deferre aretini penitus denegarunt; sine petitione respondentes eisdem, quod captum non absolverent, nisi secundum opera castigatum. Reversis vero consulibus, bellicosa campana sonuit et statuta est dies veneris per preconem et interim factis preparatoriis omnibus ad exercitum, iter arripuerunt florentini, victorioso preeunte carrocio, consule taliter precontionante:

« Gesta predecessorum nostrorum existentia coram nobis, per exempla nos instruunt similia opera consummare; licet alias reperiremur in aliquibus negligentes: et a discretionem, etiam natura non proclivis, patrum discernit ab alienigenis sanguinem, et imitatur sepiissime quod ignorat. Teneamur igitur eorum omni iure sectari vestigia, ne reputemur indigni vocabulo filiorum; vel abutendo hereditate, nominemur ingrati. Cum itaque aretini nos antiquitus in pluribus offendissent, emendare decuisset ipsos offensas, ut mitigaretur ira, examinata vindicta, et nunc noviter offensas aliud superaddere, quod levius forte in gravioribus verterentur: quoniam modicum fermentum totam massam corrumpit, et levis curat magnum medicina langorem. Oportet igitur nos esse principales et iudices, et offendentes expedit dure punire, ut vitium non sumant, nos offendere presumantes. Recommendamus ergo vobis carocium presens, cui sicut decet membra capiti deservire, et invicem patrociantes in bello et simul uno et in eodem tantum super victoria conferentes, non cogitetis de recessu, nisi Rainerio Ubertini viro nobili absoluto, et nobis de offensis integre satisfacto ».

m) Rainerio

n) 99. Tetiv

a) Totot cur. Post

Leg. Hist.

b) Rainerius

c) proponer

Tab. Hist. univ. et. d. d. d.

Lin. p. 100. v. 1. d. d. d.

i) a minori add. red. d. d. d.

del.

j) correcto

k) eversio, huius d. d. d. d.

Leg. Hist. d. d. d.

l) lagorem

m) similitis, is exprimit.

n) tantote, to exprimit.

o) confidantes add. red. del.